



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

23. Quid sit de illorum, qui vt ministrent peste infectis consecrant
vtramq[ue] speciem, sed alteram in pane fermentato?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

Quid sit de illorum, qui, ut ministrent peste infectis, consecrant utramq; speciem, sed alteram in pans fermentato?

Quæstionis explicatio.

CERTUM est de fide, tam panem azymum, quàm fermentatum sufficere ad substantiam huius sacramenti: unde erroneū est, dicere, alterutrum panem esse necessarium necessitate sacramenti in Ecclesia Græca vel Latina, sicuti quidam (a) Doctores iuris canonici voluerunt: neque enim sacramenta habent alias essentias in vna parte Ecclesiæ quàm in alia; neq; consuetudo aut præceptum Ecclesiæ potest immutare vel limitare essentias sacramentorum.

a Innoc. cum aliis in c. 1. de Bapt. & Fel. in c. Quæ in Ecclesiarum deconst. n. 20.

b Epistol. ad Michaelem Patriar. Cōstantinopol.

Certum quoque est, licere Græcis in fermentato, sicut & Latinis in azymo conficere & ministrare, ut docet (b) Leo Nonus, qui, Latinorum consuetudinem defendens, eam esse Romanæ Ecclesiæ moderationem & prudentiam, ut cum tam extra, quam intra illam multe sint Græcorum Ecclesiæ, nullam à paterna sua traditione perturbari, sed potius eam seruare moueat & studeat.

Certum

Certum quoque est, tam Latinos quam Græcos teneri ad seruandum Ecclesiæ suæ ritum: Vnde (a) Iure Canonico punitur quidam Latinus sacerdos, quod in fermentato consecrasset, nihilominus sepe accidit, & præsertim tempore pestis, vt ruri non sit panis azymus, sunt tamē peste infecti, quibus viaticum ministrari debet: Quæritur, quid censendum sit de hoc modo conficiendi & ministrandi, si sacerdos in fermentato consecret propter necessitatem?

a c. *litteras de celeb. Missar.*

Responsio.

NEque hic modus licitus est, sed reprobatus. Est omnium fere Doctorū, excepto (b) Maiore, quantum notare potui, qui nimis largam dat sacerdotibus in huiusmodi casu facultatem *consecrandi frustum panis fermentati, etiam secrete & sine vestibulis sacris*: hæc enim omnia sunt erronea, vt statim videbimus, quia quisque tenetur ritus & consuetudines suæ Ecclesiæ seruare, præsertim in huius sacramenti ministratio-
ne, vt ante diximus.

b *In 4. dist. 9 q. 3. ad 3.*

Dices. Præceptum de sumēdo viatico in articulo mortis est diuinum: præceptum v. de sumēdo vel ministrādo illo in pane azymo est humanū: E. posterius priori cedere debet

360 DE NECES. ET MOD. MINIST.
debet, in articulo saltem, quo azymus ha-
beri non poterit. Hoc argumento motus
fuit Maior, vt diceret, *forte pastorem posse hoc
casu secreto panem fermentatum consecrare*. No-
ta q̄ dicit, *forte*, etsi n. videtur illo argumē-
to non nihil fuisse motus, non tamen om-
nino persuasus fuit.

℞. Igitur prius præceptum esse affirma-
tium, quod de sui ratione non obligat ad
semper, hoc est, pro omni tempore, sed
quando commode & cum debitis circum-
stantiis fieri potest, & ideo posito alio præ-
cepto humano, præscribente debitum cō-
ficiendi modum, cessare debet obligatio
alterius præcepti pro aliquo temporis arti-
culo, pro quo modus ille non potest obser-
uari, quia (quod sæpe repetendum est) ex-
pedit maxime in hoc sacramento confici-
endo & ministrando, summam reuerenti-
am adferre.

QVÆSTIO XXIV.

*Quid sit de illorum, qui celebrant non ieiuni,
vt agro sacramentum ministra-
re possint?*

Quæstionis explicatio.

A Temporibus Apostolorum seruata
est in Ecclesia Consuetudo, non su-
mendi